



# Disputatio juridica inauguralis de potestate dominica

<https://hdl.handle.net/1874/340695>

20

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**POTESTATE DOMINICA**

QUAM  
DIVINO FAVENTE NUMINE  
*Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
**D. JOHANNIS van MUYDEN,**

Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Illustri hac Academia  
Ultrajectina Professoris Ordinarii, Dignissimi,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, & Nobilissima*  
*Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

**PRO GRADU DOCTORATUS,**  
Et summis in **UTROQUE JURE** honoribus & Privilegiis  
ritè, ac legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini subjicit*

**JOHANNES van NISPEN, Hagâ-Batavus.**

*Ad diem 6. Julii, horis locoque solitis.*



**TRAJECTI ad RHENUM,**

**Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Ix Lxxxvii.**

*Nobilissimis, Amplissimisque VIRIS, ac  
Dominis,*

**D. JOHANNI** van NISPEN,  
JCto, à Consiliis, ac Triumviratus Monetalis Sta-  
tuum Fœderati Belgii Præsidi; Parenti suo maximè  
honorando.

**D. GUILIELMO** van NISPEN,  
JCto, Territorii Vosholensis in Hollandiâ Satrapæ  
supremo, Fratri suo dilectissimo.

**D. FRANCISCO D'OFFARREL,**  
Legionis Militaris, sub auspiciis Serenissimi Princi-  
pis Auriaci, Præfecto secundo,

**D. ADRIANO le PLAT,**  
Cohortis pedestris, sub iisdem auspiciis, Duci ac  
Capitaneo strenuissimo; Fratribus suis affinibus spe-  
ctatissimis,

*Hanc disputationem inauguralem, de-  
votissimo, ut par est, animo,*

Dicat ac consecrat,

JOHANNES van NISPEN,

*Auct. & Resp.*



## DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

## POTESTATE DOMINICA,

### THEISIS I.



Omninica potestas hoc loco jus est, quod dominus in personam & rem servilem, secundum leges, sibi vindicat. Quid jure Gentium, Romano, & nostro circa hanc obtineat; & quomodo pristina libertas recuperetur, brevi, ob historiam Juris cognoscendam, quæ præ omni legum notitiâ necessariam ducimus, hoc loco disquiremus.

I I.

In primævo naturæ humanæ statu nulli servi sunt; quo sensu, dominio alieno subijci contra naturam esse dicitur: quamvis, si rationes æquâ lance trutinemus, nulla repugnantia sit, hominem sese perpetuis operis tradere pro alimentis, & aliis, quæ vitæ

A 2

vitæ

#### 4 DISPUTATIO JURIDICA

vitæ necessario commodo conducunt : subjectio enim talis perpetuâ alimentorum certitudine bene compensatur, qua sæpe carent, qui operas suas diurnas locant. Quæ causa est, ob quam multi quondam suæ imbecillitatis concii voluntariam servitutem adierint, ut de Germanis, post novissimum aleæ de libertate ja-  
ctum, & Mariandynis, qui se Heracleotarum servos fecerunt, narratur.

#### I II I.

Ita quoque naturalis ratio patitur, ut quis ex delicto servus fiat. Præterquam, quod, ut recte monet Aristoteles, qui-  
dam quasi natura duce, servi sint, tardi nempe, & ingenio  
stupidi, corpore tamen robusti, qui ut ratione pollutibus mi-  
nistrent, conveniens videtur.

#### I V.

Gentium jure, quod olim in orbe Romano & multis popu-  
lis vicinis obtinebat, quilibet in solenni bello captus, ubi intra  
præsidia perductus est, servilem induit statum, imò cum suis  
posterioris ex matre serva natis. Tota juris hujus ratio commo-  
dum capientium fuit, qui, cum suo lucro possent in captivum  
dominari, vel eum aliis vendere, lubenter ab interficiendis iis  
abstinebant. Nascituri summâ ratione eidem fato subjecti, quia  
non fuissent in lucem protracti, si suo rigore essent usi victo-  
res. Quod vero servilis partus ventrem sequeretur, causa  
fuit contubernium, vix certâ custodiâ constrictum, ut suffi-  
ciens præsumptio, qualis in liberis legitimis, patrem non posset  
indicare.

#### V.

Quin & aliæ causæ servilis status reperiuntur, in Republicâ  
Româ-

## I N A U G U R A L I S .

Romanā, puta, pæna atrox, quæ in metallum, vel in harenam damnabat : Ingratitudo liberti : S. C. tum Claudianum, quæ liberam mulierem se servo alieno jungentem, domino denuntianti, addicebat : Sui ipsius venditio, ob pretium participandum, in viginti annis majore : Principalis assertio : Principis authoritas in confugientibus ad latronum familiam ; ut nihil dicamus de nexit, glebæ addictis, manibus mortuis, & similibus, quos consuetudo in Romani orbis partes quasdam introduxit.

### V I.

De Dominorum in hos potestate vetera jura variant. Si rectam rationem in subsidium vocemus, vitæ & necis jus in eos nullum est, nisi ex capitali delicto. Quod verò antiquis populorum legibus illud obtinuerit, magis impunitas, quam Potestas videtur, non dissimili ratione, quam patrum Romanorum reverentia, cui leges vitam filiorum crediderunt. Jūdex enim integerrimus presumpitur, qui per minimum rigorem sibi maximè noceret. Hinc Antoninus Pius, ut immoderatè potestati, & effræni sui seculi superbia occurreret, dominos suorum servorum occisores, legi Corneliae de Sicariis subjecit : Quin & sevitiam coercuit, si intolerabilis videretur, dominis coactis bonis conditionibus mancipia sua vendere. Et quid vetat, quo minus hi servi fugâ sibi consulant, & in naturalem libertatem se recipiant?

### V I I.

Res omnes absque dubio cum personæ captæ dominorum fiunt. Unde servus nihil proprium habuisse dicitur ; ipsum quoque peculium dominicâ liberalitate, vel indefessâ industriâ

6 DISPUTATIO JURIDICA

conquisitum, in manu & arbitrio domini positum, qui & extraneo illud libere donabat, legabat, ut notum. Imo, ut sciatur, quam miserrima fuerit subjectio, servus, nec judex, nec testis, nec testator, nec persona in judicio vel contractu esse potuit, in omnibus beneficiis civilibus pro nullo & mortuo habitus: & propter summam reverentiam, qua vitam & omnia suo hero debebat, adversus hunc non torquendus, nisi in majori criminis.

VIII.

Verum variis modis, in favorem libertatis, haec potestas dominica soluta est. Olim in Iustro Romano, apud Cenforem in Campo Martio, dominus servum bene meritum, inter cives nomen suum profiteri permisit: Quumque Iustralis Census in defuetudinem abiisset, Constantinus hoc in Ecclesiis, veluti in Christianorum comitiis, teste Populo, & signatore Episcopo, fieri passus est. Vindicta quoque, sive virgulâ lictoris, capiti impositâ Civitas Romana à servo acquirebatur, postquam dominus solennibus verbis: hunc hominem liberum esse volo, & momento turbinis, potestatem ei daret abeundi, quod vellet, dato ei liberali nomine. Testamentis quoque, uti publici juris, tantum à veteribus tributum est, ut servi in eo libertate donati, aditâ hereditate, etiam civitate decorarentur.

IX.

Quin & inter amicos, per epistolam, per codicillos, accidente quinque testium numero, libertatem sâpe consecutum est mancipium, quamvis non plenam. Idem evenit ancillæ à domino prostitutæ; servo liberam ducenti cum consensu Domini; Ab eodem apud acta filio vocato; Ægroto per vim ejecto, nec in alterius curam dato. Necem domini vindicanti; Falsarium

rium Monetæ, raptorem virginis, vel desertorem militiæ deferenti.

## X.

Quumque ex causis tam variis manumissorum, sive libertinorum numerus nimium excresceret, Augustus contaminari Civitatem Romanam dolens, eos multis difficultatibus, à justâ libertate arcuit. Hinc lex Ælia Sentia, quæ vetat manumittere in fraudem creditorum: Et domino viginti annis minori non aliter permittit, quam justâ causâ apud consilium approbatâ: Hinc lex Fusia Caninia, quæ modum imposuit, numero manumittendorum per testamentum definito, ut à duobus servis ad decem pars dimidia; à decem ad triginta, tertia; à triginta ad centum, quarta; à centum ad quingentos sola quinta posset dimitti: Hinc quoque triplex libertinorum ordo, Civium, Latinorum, Dedititorum; Quorum isti plena libertate gavisi, & instar ingenuorum; Illi spem civitatis tantum conciperent, si-  
cut veteres Latini, non ante Cæsarem, ad populi suffragia admissi: Hi vero, quum plerique essent usci & torti, nunquam Civitatis fuerunt capaces, quasi in eodem statu cum dedititiis, sive post defectionem à populo Romano victis. Justinianus quidem has differentias sustulit, nimis impensè libertatibus favens, sed an satis prudenter, recte ambigitur.

## X I.

Jam vela contrahamus, felicem prædicando hodiernum orbis Christiani statum, in quo non solum nemo servus habetur, vel agnoscitur; sed quisque alicubi emptus, quam diu apud nos versatur, publicâ jurisdictione, ut ingenuus, defenditur, & quamprimum fines nostros est ingressus, ei in libertatem proclamare licet; sed & Mahomedanis, qui omnes suæ fidei absurdæ

surdæ consortes pro fratribus habent , hæc ipsa servitus incognita, neque nisi adversus Christianos exercita. Fatemur quidem, Christianos facile potuisse abduci, à miserorum hominum interfectione, per magistri sui mansuetissimi regulas , quæ nullam saevitatem tolerant : Ceteros vero , quum eandem inter se religionem profitentur, absque multo dolore posse nefas duxisse, extra prælium, fidei consortem occidere; uti idem mos olim à Thessalìs , Illyriis , Bulgaris , & Triballis observatus dicitur; Verum non absque causa dubitamus, an non ad bella coercenda satius foret captos servos facere, quam pretio dato, quod aestimare in arbitrio victoris est, eos placide remittere. At manum de tabulâ.

F I N I S.

